

DISSERTATIONIS,  
IDEAM STATISTICÆ,  
DELINEATURÆ  
PROLOGUS;

---

CUIUS

PARTICULAM POSTERIOREM,  
ANNUENTE AMPLISS. PHILOS. ORD. ABOËNSI,

PRESIDE

*M. JOH. HENR. AVELLAN,*  
*Historiarum Profesf. Publ. & Ordinario,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

P. P.

LAURENTIUS SACKLÉN,  
*Satacundenfis,*

In Auditorio Theolog. die 26 Junii 1819,  
horis post meridiem solitis.

---

ABOË,

Typis FRENCKELLIORUM.



nisi condere, at saltem explicare atque tradere, conaretur.

A quo quidem auso animum ne avocarem, multæ, eademque haud leves, quæ dehortantur causæ adsunt.

Quarum inter gravissimas haud scio an merito nominetur, fatum, quo accidit, ut non tantum magna laboremur, cara in Patria, penuria scriptorum res statisticas tractantium, sed ne quidem una ad Lyceum quod Aboæ floret in lucem proderit disputatiuncula, vel conatum Disciplinam statistices definiendi (f) proficiens.

Præterea autem, cum ex scriptis, quæ aut vim disciplinæ interpretantia, aut materiam aliquam ipsius perscriptam tradentia, mihimet pervolvere  
li-

---

f) Etenim illiusmodi quiddam neque promissum esse, neque præstitum, Dissertatione, quam *de Statisticis apud veteres vestigiis & fontibus*, Præfide Celeberrimo J. F. Wallenio pro Gradu ventilandam 1815 proposuit Clar. tum temporis Philof. Cand. Fredr. Rönnbäck, eo certius constat, quo apertius suam pronunciavit operis auctor sententiam; ambiguos nimirum & esse novæ disciplinæ fines, & de iisdem determinandis quæstionem diu fore pensuram. V. tam ipsum *Disf. cit.* contextum pp. 1, 2, 3., quam notulam quoque (c).

licuit, non obscure intellexerim haud exiguam quidem, quamvis interdum forsitan opinatam magis quam veram, inter Auctores occurrere, de ambitu Scientiæ & locis, horumque inter se ordine & vicinitate dissensionem; facturum me operæ pretium judicavi, si, divergia sententiarum de disciplina nostra conjungere etiamsi haud contingat, ideam tamen ejusdem, a nativo quodam principio suo, tamquam a scaturigine fontis, deductam accurate exprimere & delineare aut possem, aut saltem pro virili parte conarer. Etenim, quamquam multi jam egregie conscripti egregiorum Auctorum existant libri, res statisticas pertractantes; tamen etiam in illis nonnulla nimie festinationis, plerumque in rerum descriptarum haud satis accurata dispositione obviæ, possint detegi vestigia, eademque fere indicantia, imaginem quandam accuratam Scientiæ perscriptæ aut animis scribentium non rite admodum ad primigenium veluti suum exemplar (g) fuisse effictam, aut saltem aliquantillum elapsam.

Cum itaque jam hinc satis tuto possit concludi,

---

(g) Exemplar ejusmodi primigenium (*ἀρχέτυπον*), seu Ideam originariam, absolutam & consumatissimam, Scientiis quidem singulis, quin etiam empiricis semper lubesce, in dubio haud collocatum censemus, etsi insitari quidem nequeat, esse eandem nonnumquam cum defectu, tum definitu atque explicatu haud omnino facilem.



di, nihil illiusmodi imagine antèrius materiam quandam statisticam exposituris esse debere; quanto vel citius hoc item colligere liceat ex scriptis hominum, qui, Statisticen aut nihil præter Geographiam, res territorio cuidam obligatas sigillatim recensentem, & usui fere solo Oeconomiz publicæ substernentem continere autumantes (*h*), aut cognationem disciplinæ nostræ in primis cum Geographia & Historia subjicientes causæ, cur de ambitu & regionibus sæpius memoratæ Scientiæ definiendis diu pendeat quæstio (*i*), manifeste produunt, excidisse sibi, nisi e manibus, at certe e cognitionum suarum oculis claves, ex Philosophiæ, crediderim, sanctuariis repetendas, istisque aptas etiam januis, quæ novas pandunt novarum disciplinarum vias.

Igitur apertum, ut quod apertissimum, existimo, etiamsi frequentibus scriptorum suffragiis quæstionem committere supersedeam, Statisticæ suam esse non modo ditionem, suosque fines, verum eisdem etiam, haud fere secius ac antiquioribus aliis, ab experientiæ penu depromptis Scientiis, aut esse  
jam

*h*) V. ex. gr. Præfationem Libri: Utkast till en Svensk Statistik, (1:sta Afdeln.), Aucf. P. A. Granberg, Holmiæ 1816 editi.

*i*) Cfr. Cl. Ph. Cand. Rönnbäck Disfert. sup. cit. p. 3, not. c.

jam significatos & distinctos (*k*), aut describi saltem negotio haud ita, credo, difficili posse, atque a genuinis quidem ipsius vel tamquam nativis deduci principiis.

Quod si nimirum vel paucissima extant opera, materias quasdam statisticas rite & ad normam Scientiæ pertractantia (*l*); cur non dignoscentur item lineae-

---

*k*) Definitionem nempe, jam ab ipso Statistices patre, quippe qui disciplinæ nomen dixerat, ACHENWALL, germanice pronuntiatam: Statistik eines Landes und Volkes ist Inbegriff seiner Statsmerkwürdigkeiten, rem indicandam haud ita obscure significare, judici cuique oculatori fatis liquet. Atqui significationem definitionis allatæ, & mente perceptam, & assensione comprobatam fuisse quibusdam saltem viris, doctrina vel inclytissimis, documento sint: quæ, argumenta Statistices brevi coarctantia, occurrunt in Libro Cel. J. J. ESCHENBURG: Lehrbuch der Wissenschaftskunde. Berol. & Stett. 1800 ed. pp. 82, 83, §§. 42 & 43; & quæ, copiosius pertractata, continentur in Celeberrimi A. L. SCHLÖZER, Theorie der Statistik. — Nebst Ideen über das Studium der Politik überhaupt. — Göttingen 1804.

*l*) Hujusmodi quidem operum inter exempla, quæ fors fortuna nostris misit obvia oculis, mentione, putaverim, præfertim digna:

JOH. GEORG MEUSEL's Lehrbuch der Statistik. Leipz. 1804.

GEORG HASSEL's vollständiges Handbuch der neuesten Erdbeschreibung und Statistik. Erst. Band, erste u. zweite Abtheil. Berlin 1816, 1817.

neamenta, quibus ingenua operum egregiorum facies fuerit efficta? cur non Idea ipsa, animis scilicet auctorum informata, unde profecta est prima operis delineatio? Atqui potest profecto facile perspici, hujusmodi delineationem, eique subjacentem ideam abstractu non esse difficiliores, quam ut, intenta adhibita diligentia, queant reffectis lineis exaratae depingi & representari.

Sed, si nostri jam accuratior etiam aliqua Lectori benevolo ratio reddenda instituti sit; hoc quidem nobis sumsimus negotii, ut probatissimorum quorumcunque Auctorum de momentis quibusvis rei pertractandae gravioribus sententias consulendo, atque ipsorum inde deductas Statisticen perscribendi vias comparando, universalem, quae singulis fundamento jaceat descriptionibus, ideam veluti abstractam delineare &, quantum vires tempusque permittant, fideliter exprimere conaremur. In qua tamen re peragenda, ita tantum rite versaturos nos fore sentimus, si iudicio quidem utentes nostro,  
 cura

Verfuch einer Statistik der Dänischen Monarchie, von Fridr. Thaarup. Uebers. Drey Theile. Kopenhagen 1795. 1796.

Darstellung der Russischen Monarchie nach ihren wichtigsten, statistisch politischen Beziehungen, Zwey Abtheilungen Leipz. 1813.



cara intentissima, rerum certissima quæque strenue adeo persequamur argumenta, ut magnitudo Auctorum, nominumve celebritas, ne hilum quidem officiat veritatis causæ in æternum nobilissimæ.

Ne autem inani quodam verborum strepitu aures obtundere videamur Lectorum, usus etiam ac laudes nonnihil attigisse, juvat, scientiæ, cujus tanquam portas viæ sociis aperire aggrediemur.

Nam equidem existimo, eum, qui in Idea, vel Theoria (si cui hæc, latius forsitan aliquanto patens denominandi ratio, magis arrideat) disciplinæ cujusdam empiricæ exponenda versatur, rectius dici, januam modo ejusdem patefacere, quam ipsam tradere disciplinam. Nec tamen illius opera parvi habenda. Qui enim in locum, ubi res varii generis depositæ custodiuntur, per patefactam sibi januam, via tanquam legitima ingreditur, ei, ad cumeras, capsas & loculamenta admisso, res utilissimas quasque a futilibus discernendi, sibi que, nisi si tantum visendi causa intromissus sit, sine injuria comparandi copia datur; cum contra qui pedem loco furtim intulerit, nil nisi raptim convehere, & promiscue, furis instar auferre poterit. Est profecto itaque sua etiam laus aditum ad disciplinam quamcunque paranti, siquidem ipsa non  
omni



omni careat disciplina laude. Quæ igitur bona præcipua, quæque commoda, Statistices beneficio cuiusvis hominum vitæ generi conciliari possint, eorum jam ratio quædam subducenda.

Ut vero singula, quæ in laude ponantur disciplinæ nostræ, haud ita multis comprehendam, optime rei consultum a memet esse crediderim, si huc ea modo transferam, quæ usum Statistices, ordini hominum cuique dicatum spectantia, in cit. libro, *Theorie der Statistik*, p. 35 scite & enucleate expressa habet Cel. A. L. SCHLÖZER.

Primum nempe officio publico præfectum quendam fingit, hæc fere mente pertractantem: *equidem munus mihi a civibus delegatum, sacra servata fide, quomodo exsequar, nisi vires Reipublicæ, quas pro parte mea memet excitaturum, refecturum, temperaturum servaturum spopondi, singulas probe noverim? Curam igitur in id conferam accerrimam, ut earundem sive egermantium & crescentium, sive jam deflorescentium & tamquam senio confectarum, vel in interitum etiam inclinatarum bene cognita ac explorata habeam tempora, quibus singulis pro re nata occurrere valeam, atque mederi. En! materiam scientiæ, cui inprimis studium impendere, ipse jam, quo teneor, locus jubebat. Civem deinde privatum hujusmodi disserentem facit: ego cui nihil patria carius, quas possum alias a-*

more eam prosequendi habere causas, quam quæ mihi præsiidiis vitæ, bonorumque ac jurium humanitatis, omni æstimatione majoribus, afferuntur? Mihi itaque quid antiquius, quid magis necessarium, quam ut beneficia, quibus cumulo, deque quibus tantæ mihi gratulandi adsunt causæ, penitus cognoscam? Sed præstantioribus quamvis, pluribusque bonis, quam ceteræ orbis terrarum regiones, mea patria semet liberorum quos in sinu gestat commendet pectoribus, at laboret, eheu! dilectissima tamen, etiamnum nevus variis atque defectibus, iisdem mihi quoque diligenter investigandis, quo scilicet, ad eosdem reseccandos ac tollendos mea etiam ego, re & consilio, possim adferre adjumenta. En! quæ & quanta fidei injuncta patriæ alumno officia. Denique vero mundanum, seu hominem rationes humanitatis communes in primis computare amantem, sensum animi hunc fere exprimere noster patitur: felicitatem populorum terram inhabitantium metiri, quoad nimirum metiendo apta sit, equidem aveo. Voti vero ut compotem memet faciam, rebus quibusvis, siue prosperam siue miseram conditionem civitatum indicantibus, ad calculos vocatis, singulas inter se comparare instituem. Ecce mihi mathesin sublimem!

Verum utilitatibus variis Statistices, ad homines variæ quoque conditionis redundantibus, sic ad ductum Auctoris egregii significatis; haud sane convenit silentio præterire, quos quantosque etiam

usus

usus atque munera adferat laudata Scientia hominibus, loca, supra quæ ascendere mortali non licet, tenentibus, Civitatum quidem Principibus.

Cujus enim magis refert, quam principis, ea scire, quæ in commentariis atque libellis statisticis, assidue continuatis, fideliter descripta & narrata leguntur: aut de agris provinciarum læta segete florentibus, vel sterilitate, hominumve incuria infecundis & inutilibus; aut de regionibus urbibusque, hominum frequentia celebribus & copiosis, vel ob raritatem inopibus atque desertis; aut etiam ipsis de incolis provinciarum, vomere assiduo rura scindentibus, & a quovis fabrum, mercatorum, artificumque opere & negotis numquam cessantibus, vel turpi forsitan languori & desidiæ deditis; aut de Magistratum numero cum multitudine paucitateve civium congruo vel pugnante; aut de hominum muneribus publicis fungentium rite collatis in civitatem studiis, vel manifestata forte negligentia atque socordia; aut de quibus tandem cunque securitatis, salutisque publicæ sive augmentis & adminiculis, sive impedimentis ac obstaculis. Quarum omnium rerum cum e schedis statisticis accuratam colligere notitiam, inter negotia sit optimi cujusque principis gravissima æque ac dilectissima; inde quidem sternitur illa, merito sane regia, nominanda



nanda via, qua non tantum tutius ipsi, quam ceteris mortalibus, ad gloriam liceat grassari, sed ad felicitatis etiam gradum, ceteras vitæ humanæ conditiones, pulcherrime superantem ascendere. Namque cum, a Statistice probe sic instructo principi amplior, quam ceterorum mortalium ulli, civibus omnimodo bene consulendi facultas oblata sit; non fieri quidem potest, quin & novis augeat Rempubli-  
 cam viribus, & late per terras circumvolitantis famæ ad cælum usque summis extollatur laudibus. Quin, si fieri potest, dulciorem etiam, eundemque fere maximum, rerum moderator ejusmodi civilium fructum percipiat laborum vigiliarumque, quum sua cura cives non modo numero auctos & opibus, sed ad omnem quoque humanitatis cultum excitatos, & jurium præsiidiis quibusvis munitos fuisse, vel ex indicibus intellexerit statisticis. At tot tantisque meritorum præmiis, cum optimos quosque, legitime regnantes principes remuneretur Statistice; quot & quantas eadem infamiæ maculas summæ potestatis usurpatoribus quibusvis inurat, quamque odiosa sit illegitimam in cives, tamquam in servos, exercentibus tyrannidem, vix dictu est facile. Cujus tamen rei veram exponere rationem cum hujus quidem loci esse judicaverim, eandem, ex mente mihi, quantumvis sane melius quam ipse possem, quasi descriptam, hic subjiciam, ipsa apponens verba Celeberrimi SCHLÖZER, in Libr. s. cit.



p. 51 germanice hunc in sensum concinnata: *Statistik* und *Despotism* vertragen sich nicht zusammen. Unzählige Gebrechen des Landes sind Fehler der Staatsverwaltung: die *Statistik* zeigt sie an, controlirt dadurch die Regierung, wird gar ihr Ankläger: das nimmt der Despot ungnädig, der in solchen Angaben sein Sünden-Register liest. Die Geschichte unsers Studii, wie es in manchen Ländern herrlich aufgeblühet, dann plötzlich wieder verschwunden ist, liefert hievon auffallende Beweise. Wenn der Satrap Unwahrheiten einberichtet, oder LandesGebrechen verschweigt, an denen er vielleicht selbst Schuld ist; wer mag dem aufgeklärteren Patrioten zumuten, seine Stimme dagegen zu erheben, so bald er den langen Arm des Satrapen zu befürchten hat? — Aber, ist die ehrliche Statistik von der Redner-Bühne geworfen: so schleicht sich ihre Bastard-Schwester, die *Chronique scandaleuse*, hinauf, ruft Wahrheit und Lüge durch einander aus, und züchtigt in jedem Falle den Tyrannen. Scientia autem, cujus vis omnis ita tantum semet exserit, detegiturque, si & suam cuique patriam amatam, dilectiorem etiam civi reddere valebit, & magni æstimatam laudatamque exteris; nulla profecto ulteriori eget commendatione. Verum si in thesauris quoque illius, ipsi, qui, supra ceteram hominum fortunam evecti, salutis publi-

cæ

cæ si non soli auctores terrarum populis, at saltem tutores præcipui & quoadantenus distributores constituti sunt, reposita sibi que dicata inveniunt præmia quæque meritorum nunquam contemnenda; locum præ scientia laudata superiorem, vix ac ne vix quidem, ceteris litterarum disciplinis, quibus hominum solent cultiorum imbui pectora, æquus adjudicabit rei æstimator.

Quem itidem speramus nostram, in re proposita collocandam, non flocci prorsus pensurum operam, nisi ubi nos simul cum hac, perdidisse etiam oleum, ex susceptæ rei exitu, intellexerit.

